



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Svpressionis Beneficiorvm, eorumq[ue] dismembrationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

RESOLVT. DXXXVII.

1 *Augmentum dotis qualiter fiat.*

Dispensatio concessa propter incompetentiam dotis, cum clausula dummodo augeatur dos, qualiter augmentum fiat.

1 **V**T plurimum dispensationes matrimoniales Ordinarijs locorum diriguntur, & quandoque ex-primuntur oratorem velle dotem supplere, & per Summum Pontificem apponitur clausula, dummodo augeatur dos, quare fuit dubitatum, qualiter fiat huiusmodi augmentum, & super quibus bonis impetrantur sit dos constituenda.

Et quidem dos prefata, non est constituenda simpliciter super omnibus bonis ipsius impetrantis, sed in specie debet ostendere, si habet bona, ut sit consultum uxori in casu eius mortis, ne indigeat tali dispensatione ita Genuen, in Prax. cap. 25.

PRAXIS SUPPRESSIONIS BENEFICIORVM, eorumque dismembrationis.

RESOLVT. DXXXVIII.

1 *S. C. T. sess. 24. cap. 15. tenor.*

Quid censet Trid. circa suppressionem beneficiorum.

1 **S**ac. Conc. Trid. sess. 24. c. 15. ait in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis insignibus, ubi frequentes, adeoque tenues sunt prebende simul cum distributionibus quotidianis, ut substinendo decenti Canonicorum gradui pro loci, & personatum qualitate, non sufficiant, liceat Episcopis, cum consensu Capituli, vel aliquod simplicia beneficia non tamen regularia ijs vnire, vel si hac ratione provideri non possit, aliis quibus ex ijs suppressis, cum patronorum consensu, si de iure patronatus laicorum sint, quarum fructus, & proventus reliquarum prebendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciores numerum reducere, ita tamen, ut tot super sint, quae Diuino cultui celebrando, ac dignitati Ecclesiae commodum valeant respondere, non obstantibus quibuscunque reservatione generali, aut affectione, neque praedictarum vniones, aut suppressiones tolli, seu impediri possint ex quibuscunque prouisionibus, etiam vigore resignationis, aut quibuscunque alijs derogationibus, vel suspensionibus.

RESOLVT. DXXXIX.

- 1 *Suppressio exigit causas necessarias.*
- 2 *Fructuum diminutio est causa necessaria suppressionis.*
- 3 *Fructuum diminutio, quomodo sit articulanda numer. 4. & 5.*

Suppressio, ut valide fiat, an exigit causas, & quas.

1 **Q**uamvis vero attinet ad suppressionem, cum ea euidenter tendat ad diminutionem Diuini cultus, atque ideo difficiliter permittatur, cum accessisset, & c. ex parte de constit. exigit causam praecise necessariam, secundum Tholosam de benefic. c. 19.

2 **Q**uae quidem fructuum diminutio, ita assignatur per text. in c. vltim. de verborum significat. ubi glos. & Doct. Felyn. post alios in dicto c. cum accessisset n. 17. & quoad iustificationem causae lucus, sunt aliqua circumstantiae diligenter attendendae. Quarum praecipua est, ut recte articuletur valoris diminutio, non in

genere, sed specificè cum sua causa, cum possit esse temporalis, & in specie probationem genericam per testes simpliciter dicentes fructus esse diminutos reiecerant DD. me informante in vna Calaguritana beneficij de Trespuentes 28. Nouembris 1607. coram Pamphilio, & ubi deficit causa testibus cognita, articulandus est valor decem annorum continuorum retro actorum computato fertili, cum sterili, Rota diuersorum decif. 189. num. 4. par. prima.

4 **A**ltera est, ut articuletur non simplex diminutio, sed talis, ut persona idonea non possit cum fructibus illis vivere, atque perferre, & absolvere omnia onera, ut non obscure censuit Felyn. in dicto cap. cum accessisset paulo ante num. 20. vers. aut ex causa necessaria, quae tamen circumstantia vestiendi est ornatu Imperatorio: non enim oportet ad mensuram expensarum querere etiam suppressiones, hoc enim simul ad avaritiam, in paritatem, perducit, sed ex his, quae sunt, expensas metiri, ita Iustinianus in authent. ut determinatus sit num. cleric. §. cum vero Deo, vers. non enim, qui habet aures audiendi audiat.

5 **E**t alia denique, ut articuletur, probetur ista diminutio non simpliciter, sed habito respectu quantitatis assignatae a principio foundationis, alias non concludet, quia si beneficiarij praedecessores diuturno tempore contenti fuerunt ea portione, & quantitate non est minuendus numerus, sub hoc praetextu insufficientiae reddituum, ut alias respondit Rota apud Seraphin. decif. 1385. num. 3. in qua allegatur alia resolutio in Calaguritana portio de Nabaia 3. Iunii 1589. coram Penia.

RESOLVT. DXXXX.

- 1 *Suppresso in dubio non praesumitur.*
- 2 *Fructuum diminutio est plenè probanda.*

Fructuum sufficientia in dubio praesumitur ad effectum inuolundandi suppressionem non apparente in actis suppressionis insufficientia.

1 **A** Nimaduertendum summopere est in hac suppressionum materia, numquam illam fieri debere nisi redditus Ecclesiae diminuti probentur, ut fuit in Rota resolutum in vna Burcen. beneficij 15. Nouembris 1610. coram Ludouico, & tradant DD. in c. cum accessisset de constit. Seraphin. decif. 1345. nu. 1. ubi dicit numquam esse faciendam suppressionem nisi redditus Ecclesiae diminuti probentur, & fuit plenè dict. in Calaguritana beneficij 28. Nouembris 1607. coram R. P. D. Pamphilio, & in alia Calaguritana de Iocano de anno 1601. coram Cordub. late Garfia de benefic. part. 12. num. 2. cap. 1.

Cuius ratio est, quoniam in dubio redditus Ecclesiae aucti potius, quam diminuti praesumuntur Angel. conf. 274. n. 4. in fine, & beneficia de sui natura praesumuntur congrua c. nemo de consecrat. dist. 1. prima. Caputaquen. decif. 62. nu. 1. part. 1. tenuit Rota in vna Calaguritana beneficij de Iocano 9. Aprilis 1601. coram Domino Cardin. Seraphino, & est inter eius decisiones impressas decif. 1385.

Et interpretatio illa fieri debet, quae sit fauorabilis in augmentum cultus Diuini, ut tenuit eadem Rota in vna Calaguritana portio de Nabaia 2. Iunii 1589. coram R. P. D. Penia, & in vna Burgen. reductionis beneficiorum 15. Nouemb. 1620. coram Eminentijs. Cardin. Bononien. demum S. D. Gregor. XV. relata a Farinac. p. 2. tom. 1. decif. 316. num. 4.

2 **H**aec autem, ut supra diximus, fructuum diminutio est plenè probanda, quia fructus potius aucti, quam diminuti praesumuntur, ut firmatur in hac decif. & tradit Gigas de pens. quaest. 9. n. 9. vers. & praedicta Seraphin.

phin. decis. 1385. num. 1. & saltem præsumuntur sufficientes, Seraphin. decis. 1385. Verall. decis. 61. par. 1. & fuit dictum in dicta Calaguritana beneficij coram R. P. D. Pamphilio, ubi allegatur Glos. in cap. fin. in verbo sufficienti, de rescriptis, & firmatur in hac decis. & quod diminutio reddituum Ecclesiæ sit iusta causa diminuendi numerum beneficiorum, tradit Azor. instit. moral. p. 2. li. 6. c. 30. quæst. 11. & 12. post Rocch. de Curt. de iure patronat. in verbo (pro eo) sub nu. 27. quod procedit etiam si in Ecclesiâ esset certus numerus statutus auctoritate Papæ; nam superueniente noua causa, scilicet diminutione reddituum, potest dictus numerus diminui, Garz. dict. cap. 1. n. 3. & 4. sicut autem diminutio reddituum est iusta causa diminuendi numerum beneficiorum; ita ex causa auctis redditibus augeri debet numerus, Rocch. de Curt. in loco præalleg. sub num. 27. Garz. d. c. 1. sub n. 5. fuit dictum in Calaguritana beneficij de Traspuntas 13. Febr. 1606 coram R. P. D. Pamphilio.

E quibus deducitur, quod si sunt factæ probationes super sufficientia, & insufficientia, seu super non diminutione, & diminutione, præualebit probatio pro sufficientia, & non diminutione; non solum fauore cultus Diuini, cum ad eum pertineat in qualibet Ecclesiâ haberi quamplures beneficiatos, & tot quot possint ex redditibus sustentari, ca. primo, ubi Abbas, & alij de instit. Seraphin. dict. decis. 1385. num. 5. sed etiam ratione verisimilitudinis, & præsumptionis cum redditus cuiuscunque beneficij præsumantur sufficientes, prout hucusque fuerunt, Glos. in c. final. in verb. significabant, de præsumpt. quinimò potius aucti, quam diminuti, Angel. conf. 274. sub num. 4. Seraphin. ubi supra, & latè fuit deductum in dicta Calaguritana de Trespentes, quæ fuit confirmata 13. Febr. 1606. Videreturque prorsus intentio suppressantis, si appareret paulò ante numerum fuisse iuratum, ut apud Seraph. ubi supra, nec existimo, tunc quicquam proficere probationem; nam imputandum est ei, qui depauperatum beneficium acceptauit, Glos. in ca. 1. in verbo necessitatem 21. quæst. 1. Rota decis. 56. num. 11. p. 2. diuersorum, & propterea hoc casu existitur iustificatio depauperationis post ipsam acceptationem, ut dixit Glos. in dict. ca. 1.

RESOLVT. DXLI.

- 1 Supprimendi facultas non competit Capitulo Sede vac.
- 2 Suppressionem facere possunt Papa, & Episcopi.

An facultas supprimendi vigore Concilij competat Capitulo Sede vacante.

- 1 Non competere Capitulo Sede vacante refert decisum Moneta de decimis quæst. 5. numer. 20. quem refert, & sequitur Barbof. de potestate Episcopi quæst. 67. numer. 3. Henric. conf. 33. num. 6. & seq. Monald. consil. 41. num. 5.
- 2 Quorum ratio est, ex quo ad supprimendum exigitur autoritas Papæ, vel Episcopi priuatiuè, quoad alios Prælatos inferiores, ita Episcopi, & Ecclesiarum suarum Diocesis vnio, & suppressio earundem, sunt verba tex. in c. sicut vnire, de excess. Prælat. & rectè quidem suarum Diocesis cum nequeat vnire beneficia alterius Diocesis, Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Cocchin. decis. 249. num. 3. ex quo tex. Doctores notant facultatem vniendi esse vnum ex casibus reseruatis Episcopo, & denegans inferioribus Prælati, etiam si ad eos pleno iure Ecclesiæ spectent, ut ibi per Abb. & Io. Andr. vtrumque num. 2. Archid. num. 3. Butr. nu. 4. Cardin. conf. 97. num. 3. Paris. conf. 36. nu. 8. lib. 4. nisi ista plenitudo moueatur in iurisdictione quasi Episcopali, quæ sit in tali inferiori, ut pulchrè declarat Card. Aloys. Ricc. Praxis Pars IV.

in conf. 47. sub num. 1. vers. quo casu dico, & num. 3. & benè etiam docuit Abb. in eodem c. sicut vnire sub n. 3. vers. aut iste Prælatus, Caccialup. in tractat. de vnio artic. 9. num. 20. & 21. Tolos. de benefic. c. 20. num. 7. Rota in practicabil. de vnio. num. 11. & de hac plenitudine nisi intelligatur, Innoc. in c. statumimus, num. 2. ad finem, vers. de Abbacia autem, & Gl. quæ cum recitat in Clement. 1. in verb. proprijs, de reb. Eccles. non alienand. ea opinio non potest aliter videri iuridica, ex præcatis, quibus addi potest Glos. in Clem. 1. §. ad hæc in verbo Ordinarios de stat. Monachorum, prout eam sine hoc salis grano intellectam expressè rejcit Card. d. conf. 44. sub num. 1. & ratio est, quia sicut soli Papæ, vel Episcopo, aut Prælato habenti iurisdictionem quasi Episcopalem concessa est facultas instituendi beneficia, ut supra firmatum fuit quæst. 5. in eisdem solis licet eadem beneficia accessorie vnire cum vnione extinguatur beneficium iuxta regul. l. nihil tam naturale, cum ibi not. de regul. iur.

RESOLVT. DXLII.

- 1 Suppressio, & erectio alicuius præbendæ, quando fieri possit per Episcopum, & num. 2.
- 3 Episcopi non possunt applicare præbendam mensæ Capituli, & num. 4.

An suppressio præbendæ possit fieri ab Episcopo ex causa cum consensu Capituli, quando bona Episcopi, & Capituli sunt communia, & bona suppressa caderent in vtilitatem Capituli.

- 1 Concludendum est pro negativa opinione, cum hæc suppressio, & extinctio alicuius dignitatis, vel præbendæ, quam ex causa potest facere Episcopus cum consensu Capituli, ut resoluit Garzias de beneficijs par. 12. cap. 1. à num. 2. ubi numer. 11. intelligit si Episcopus sit auctor ipsius dismembrationis, non habet locum, quando bona Episcopi, & Capituli sunt communia, prout resoluit Glos. verb. mensæ suæ, vers. item facit, in Clem. si vna de reb. Ecclesiæ non alienand. quam ibi sequuntur Cardin. nu. 1. Gambar. num. 22. Abbas in cap. cum accessisset, num. 5. de constit.

Et neq; etiam hoc posse Episcopum, quamuis bona illius, & Capituli sint diuisa, si id caderet in vtilitatem Capituli, quia fructus applicantur ipsi Capitulo, seu mensæ Capituli tenent Butr. & Imol. in d. ca. cum accessisset, & ibi Felyn. n. 22. ac Dec. n. 57.

- 3 Sed verius est, quod licet mensæ Capituli applicare non possint Episcopi fructus præbendarum suppressarum, cum agatur de interesse ipsius Capituli, & ipsum auctorizare non possit in facto proprio, tamen si vellent applicare vni præbendæ, vel etiam singulis possent, quia tunc non auctorizarent in facto proprio, cum aliud sit applicare Capitulo, aliud singulis Canonicis, seu singulis de Capitulo, prout tenet Imol. quem sequitur Dec. dict. cap. cum accessisset a nu. 54. Gabr. conf. 186. lib. 2. dicens, quod potest item Episcopus cum consensu Capituli suppressere præbendam, dignitatem, aut officium, eius fructus applicando non Capitulo, sed distribuendo inter singulos Canonicos, assignando scilicet cuique Canonico, vel præbendæ certam portionem, quo casu dicit procedere d. c. cum accessisset.

RESOLVT. DXLIII.

- 1 Beneficiati non possunt esse in Ecclesiâ plures, quam quot possint ex redditibus ipsius sustentari.
- 2 Suppressio præbendarum fieri debet in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis insignibus.

R r 2 Sup.

Suppressio beneficiorum, & prabendarum vigore Concilij, an habeat locum in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis non insignibus.

Cum beneficiati non debeant esse in Ecclesia plures, quam quot possint ex redditibus illius sustentari c. 1. ubi Abb. de instit. Idem in Cathedralibus, & Collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues sunt prabendae simul cum distributionibus quotidianis, nec illis vnire aliquot simplicia beneficia possunt, licitum est Episcopis, aliquibus ex ijs impressis cum patronorum consensu, si de iure patronatus clericorum sint, quorum fructus, & prouentus reliquarum prabendarum distributionibus quotidianis applicantur, eas ad pauciores numerum reducere, ita tamen, vt tot supersint, quae diuino cultui celebrando, ac dignitati Ecclesiasticae commodè valeant respondere, ita Concil. Trident. sess. 24. de reformatione c. 15. praxis Episcopalis §. 1. verbo beneficia §. 1. ver. 11. Moneta de distribut. quotid. q. 1. c. 5. a num. 27. Gonzal. ad regul. 8. cancell. Glof. §. 7. a num. 127. quid quidem solum in Ecclesijs Cathedralibus, aut Collegiatis insignibus locum habet, in alijs vero nulla datur Episcopis potestas extinguendi prabendas, vt augeantur distributiones, etiam ad augmentum cultus Diuini, ita decisum refert Moneta d. 95. num. 28. ubi n. 29. etiam asserit decisum non licere Capitulo, etiam Sede vacante, suppressere portiones vigore Concil. dict. c. 15. & num. 30. resoluit Collegiatam Ecclesiam relata hanc suppressionem prabendarum tenuarum facere non posse, licet sit exemptus, & Ecclesia sit insignis, cum hoc solum Episcopis Concilium concesserit cum suorum consensu Capitulum.

RESOLVT. DXXXXIV.

- 1 Collegiata Ecclesia insignis probatur fama.
- 2 Nobilitas fama probatur.
- 3 Collegiata Ecclesia insignis probatur exemplo loci insignis, qui ex communi opinione hominum dignoscitur.
- 4 Collegiata probatur arbitrio Iudicis.

Collegiata insignis ad supprimendum beneficia, vt illi vnatur, quae nam dicatur, & qualiter probetur.

Nonnullis modis probari collegiatam insignem Doctores asserunt, & primo probatur fama, siue communi omnium opinione, cum multa in iure ex tali extimatione probentur, vt patet exemplo nobilitatis, quae fama, siue communi omnium extimatione, probatur, Bal. in leg. prouidendo nu. 1. per illum text. C. de postul. sequuntur Alex. Guid. Pap. Felyn. Ial. & Dec. relati per Tiraq. de nobil. c. 10. nu. 8. item exemplo dignitatis, quia illa dicitur, quae communiter reputatur in tali Ecclesia, vel loco, vt per Inn. in cap. de multa sub nu. 6. de prabend. quem ibi sequuntur Hostien. & Io. And. Butr. & Abb. quem sequ. etiam Sylu. de benef. p. 1. q. 2. n. 3. Hoc idem voluit Mill. in suo repert. Card. in Clem. 1. n. 3. de prabend. & latius conf. 62. Gemin. consil. 140. n. 1. Bald. conf. 387. Felyn. ad dub. de maior. & obed. nu. 3. Staphil. de lit. grat. & iust. in 2. forma n. 9. Lam. de grat. expect. n. 26. Rot. decil. 9. de prabend. in nou. & decil. 4. nu. 2. & 3. de elect. in nou. Eo ita resolutum fuit in vna Cortouen. praepositurae coram D. Cort. 14. Octobris 1575. Secundo probatur exemplo loci insignis, qui ex communi opin. hominum dignoscitur d. l. labeo, ff. de suppellect. leg. c. ex litteris de sponsal. ita gl. in ca. statutum, & ibi Io. Monac. nu. 15. Archid. Gugliel. de Mont. laud. Gemin. ac Prob. in add. ad Monach. n. 32. Imol. in c. praesent. tit. de re script. lib. Spec. de citat. §. 1. n. 17. Lap. alleg. 123. n. 2. demum Card. in Clem. 1. n. 28. de foro competet.

Tertio probatur, nam eadem qualitas insignitatis alicuius Ecclesiae posse arbitrio Iudicis terminari ad instar nobilitatis, vel ignobilitatis, quae arbitrio Iudicis reponitur, Bald. in l. Brachus, C. de adul. Alex. in. l. 3. in add. ad Bart. ff. de testib. Rip. in l. si Constant. ff. solut. matrim. Tiraquel. in l. si vnquam, C. de reuocad. don. ex de nobil. & ad instar. loci, qui an sit insignis, vel non status arbitrio Iudicis, vt per Glof. Monach. Archid. Gem. Barb. Inno. Spec. Lap. & Card. in loc. sup. cit. quibus additur Alber. in suo dict. Vital. in Clem. 1. n. 2. de foro competet. Tiraquel. in d. l. si vnquam.

RESOLVT. DXXXXV.

- 1 Solemnitates, quae requiruntur in suppressione, sunt necessariae in vnione.
- 2 Pinguedo Parochialis, est causa sufficiens dismembrationis.
- 3 Dismembrare nequit Ordinarius curata beneficia, & vnire simplicibus.

An eadem solemnitas, quae exigitur in suppressione, requiratur pariter in dismembratione.

Requiri eadem solemnitates, quae in suppressione, & vnione voluerunt Monald. conf. 16. Alciat. respons. 31. & Henric. conf. 81. num. 6. & sequent. & sic consensus Capituli, Paueri de potestate Capituli Sede vacante 3. 1. q. 2. par. num. 19. Mandos. regul. 22. q. 13. num. 8. & 9. Nicol. Garfia de benef. part. 12. c. 5. requiruntur etiam vocatio Rectoris, vel defensoris, & aliae solemnitates in alienatione rei Ecclesiae requisitae c. 1. de reb. Ecclesijs non alienan. in 6. c. 1. de Sed. vac. glof. verb. defensor in c. 1. de reb. Eccles. Mandos. dif. 9. 13. n. 12. Gam. de offic. legat. li. 5. Rub. de dismembrat. n. 14. & 15. Marci Ant. Genuens. in prax. Archiep. Neap. c. 75. n. 17. & 18. Rot. Rom. in vna Tolet. beneficij 12. Octobris 1579. coram Seraphino, est inter impressas decil. 414. ubi fuit tentum dismembrationem beneficij causa cognita de consensu rectoris valere, & in altera Tolet. beneficij 2. Decembris eiusdem anni 1579. coram eodem Seraphino, & est inter decisiones impressas dec. 428. fuit resolutum pinguedinem Parochialis dici esse causam sufficientem dismembrationis, & in alia Mediolanen. dismembrationis 28. Ianuarij 1595. coram ipso Illustrissimo Seraphino dec. 162. dictum fuit non posse Episcopum dismembrare fructus vnus beneficij, & illos alteri applicare, sine solemnitatibus, in alienatione locorum Ecclesiae, & de consensu Rectoris, quod iterum tenuit eadem Rota in vna Salernit. parochorum 1. Iunij 1611. coram Illustriss. Card. Bonon. nunc S. D. N. Gregor. XV. & est apud Farinac. p. 2. tom. 1. dec. 348. n. 2. dismembrare non potest ordinarius beneficia curata, ac vnire beneficijs simplicibus: item non potest separare ab Ecclesijs Parochialibus beneficia simplicia, siue oratoria, si illis vnita essent, quamuis illis repartitis parochialis non egeant referunt decisum Alas. Riu. in Prax. for. Ecclesiast. dec. 492. in prima edit. & resol. 383. n. 5. & 7. in reedit. Nicol. Carc. de benef. p. 12. c. 2. n. 83.

RESOLVT. DXLVI.

- 1 Argumentum datur de suppressione ad unionem.
- 2 Suppressio probatur ex enunciativis antiquissimis supra centum annos.

Causae necessariae ad iustificationem suppressionis, an probentur ex enunciativis antiquissimis.

Simendum argumentum a simili de suppressione ad unionem, quod de iure validissimum esse testatur Alban. conf. 22. dicerem probari suppressionem; na

ex enunciatiuis antiquissimis idest supra centum annos vnionem ipsam sufficientem probari dicit, Par. dec. 204. nu. 1. lib. 2. in correct. qui tamen loquitur de enunciatiua supra annos nonaginta, Seraph. decif. 1272. num. 1. Rot. decif. 724. nu. 3. part. 2. in recent. & fuit decifum in Barchinonen. Vicariæ 9. Februarii 1624. coram R. P. D. Merlino. habent enim tales enunciatiue, ne dum vim famæ, Rot. decif. 163. num. 2. & decif. 472. n. 1. & decif. 541. n. 5. part. 1. in recent. & p. 2. in eisdem decif. 360. n. 4. 673. num. 6. & 674. num. 2. quæ in antiquis plenè probat, vt in terminis vnionis ait Verall. dec. 344. num. 2. & 3. part. 3. & confirmauit, Rot. in d. Barchinonen. Vicariæ 2. Octobr. 1624. coram bo. mem. D. Vbaldo, præcipue si essent enunciatiue factæ simul ab Episcopo, & Capitulo, qui possunt vniui, Mantie. decif. 355. num. 6. & decif. 359. num. 7. Rota dec. 580. par. 2. in recent. quos in his terminis sequitur est Rota in eadem Barchinonen. Vicariæ, quicquid sit vbi processissent ab Episcopo tantum cui non est credendum circa factas à se vniones, Alex. conf. 70. nu. 10. vers. non obtat lib. 3. nisi alia quoque concurrant Illustrissimus D. meus Coccin. decif. 468. n. 3. sed etiam possunt iustificare immemorabilem, vt per eundem Verall. ead. par. 3. decif. 345. n. 2. cum seq. quæ conclusio procedit, etiam si enunciatiua huiusmodi non essent conceptæ in indiuiduo super vnione, sed virtualiter tamen, vt censuit Rota in recent. 1. decif. 626. sub n. 2. vers. quæ enunciatiue.

RESOLVT. DXXXXVII.

1. Diuturnitas temporis facit præsumere interuenisse solemnitates.
 2. Consensus Domini præsumitur interuenisse in alienatione facta per emphyteutam.
 3. Consensus patris præsumitur interuenisse in contractu.
 4. Consensus diocesani præsumitur interuenisse in fundatione Iurispatronat.
 5. Diuturnitas temporis non operatur Ordinarium in suppressione iustificasse causas si ex actis nihil appareat.
- Ad Diuturnitas temporis operetur Ordinarium in suppressione iustificasse causas si ex actis nihil appareat.

PRæsupposito, quod in suppressione facienda per Ordinarium loci requiratur causa articulanda, & concludenter probanda iuxta allegata per nos in superioribus solutionibus facilius posse deuenire, an ex cursu temporis præsumantur dictas causas interuenisse, si in decreto suppressionis nulla fuerit facta de eis mentio, nec concludens probatio.

1. Prima facie videtur dicendum ex diuturnitate temporis causas interuenisse, ex quo solemnitas necessaria per spatium decem annorum in actu interuenisse præsumitur, prout est text. in l. si filius, Cod. de petit. hered. cum alijs, quæ ponit Iaf. in l. si certis annis colum. 3. c. de pact. & in l. sciendum col. 5. in fin. & seq. ff. de verb. oblig. in l. qui aliena colum. 5. & seq. ff. de acquir. hered. loc. in reg. 376. in 5. fall. Cassan. in conf. 11. colum. 27. Ang. in d. l. sciendum col. 1. in fine Abb. in c. peruenit colum. 2. de empt. & vend. Corn. conf. 144. colum. 1. in fin. volum. 4. Alexand. in d. l. sciendum colum. 4. Curt. senior in conf. 77. colum. 2. Vnde inferitur, vt præsumatur consensum Domini directi interuenisse in alienatione facta per emphyteutam, ita sentit Alex. in conf. 111. Iaf. in l. 1. c. qui admitti.
 3. Inferitur etiam, vt præsumatur in contractu consensus patris statuto, quod filius non possit contrahere sine patris consensu, Bald. in l. si filius, ff. de petit. hered. Alex. conf. 79. Barbat. in conf. 33. Tiraq. de leg. connubial. fol. 222. Goz. in conf. 73. Decius in conf. 722. Corin. conf. 94. ubi dicit, quod ex diuturnitate
- Prax. Aloyj. Ricc. Pars IV.

temporis præsumitur filium adiuisse de consensu patris, sic pariter inferitur, vt in testamento condito à Prælato præsumatur consensus Pontificis præcessisse, Aret. in conf. 6. Alex. in conf. 101. Fel. in c. sicut de re iudiciaria, vbi videtur de illo dicto, & postea soluatur illud Iaf. in l. sciendum, & in l. qui in alienam, Tiraq. loco citato, Mant. in conf. 83. Et à simili ex cursu temporis præsumitur interuenisse consensus Diocesani in constructione Ecclesiæ, vel Cappellæ, quando in ea publicè sunt celebrata Diuina. Imol. in c. officij de testam. Rom. in l. sciendum, Iaf. in l. sciendum, & in l. si certis annis de pactis, Dec. in l. 1. in lect. C. qui admitti, Iaf. in l. qui in aliena, ff. de acquir. hered. Per. de Vbald. in tract. 4. Episc. c. 4. Soc. conf. 1. Roch. in tract. iur. patron. Barb. in rep. Rub. de fid. inst. in rub. C. qui admitti, & in conf. 1. & in conf. 33. Alex. in conf. 101. decif. Neap. 368. Brun. in tract. de for. Pet. in c. sicut de iud. Bar. in c. requisuisti, Soc. conf. 270. Alex. confil. 219. & Alex. in conf. 134. Ruin. in confil. 41.

His tamen non obstantibus contrarium videtur mihi verius, nempe ex cursu temporis non præsumi interuenisse causas in suppressione, & ratio videtur esse: Nam cum causæ concludenter articulanda, & probanda, vt supra diximus, proinde requirant scripturam, & sic absque actis nullatenus probarent, nam vniuersalis actus requirit scripturam, prout in casu nostro, cum solemnitas non præsumatur ex diuturnitate temporis, ita voluit Cassaneus super consuetud. Burgund. fol. 325. colum. 3. Felyn. in c. sicut de re iud. Ruin. conf. 69. volum. 1. & conf. 49. volum. 4.

PRAXIS NOVISSIMÆ SPECIEI
dandi coadiutores.

RESOLVT. DXXXXVIII.

1. S. C. T. sess. 21. cap. 6. tenor.
2. Coadiutores dandi sunt per Episcopos, tanquam Sedis Apostolicæ delegatos parochis imperitis.

Quid disponat circa coadiutores.

1. **S**ACR. CONC. Trid. sess. 21. c. 6. sic ait, quia illiterati, & imperiti parochialium Ecclesiarum Rectores Sacris minus apti sunt officijs, & alijs propter eorum vitæ turpitudinem potius destruunt, quam ædificant; Episcopi, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati eisdem illiteratis, & imperitis si alias honeste vitæ sint coadiutores, aut Vicarius pro tempore, deputare partemque fructuum eisdem pro sufficiens victu assignare, vel aliter prouidere possint quacunque appellatione, & exemptione remota, eos vero, qui turpiter, & scandalose viuunt, postquam præmoniti fuerint corceant, ac castigent, & si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseuerent, eos beneficijs iuxta Sacrorum Canonum constitutiones exemptione, & appellatione quacunque remota, priuandi facultatē habent.
2. Quod Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ Delegati Rectoribus Parochialium imperitis, & minus aptis dare debeant coadiutores, vel Vicarius pro tempore, & assignare eis partem fructuum pro sufficiens victu, vel aliter prouidere, & quod hoc potest Episcopus, etiam in parochijs exemptis propter indentitatis rationem tenet, Zerola in praxi Archiepif. p. 1. verbo parochia §. 7. Regin. in praxi fori penitent. li. 30. tract. 3. nu. 173. Gonzal. ad reg. 8. cancell. glos. §. 9. nu. 29. & 30. resoluit, quod Parochus cui datus est coadiutor propter insufficientiā, non poterit abesse a residentia, & dicit decidisse Sacrā Cardinaliū Congregationē in hæc verba propter deputationē coadiutoris, parochus cui datus est coadiutor, non poterit abesse a residentia.

R r 3 In